



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacramentum Ordinis**

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, 1694**

Caput V. De negotiatione Clericis prohibita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42240**

ralis, aut honestæ recitationis.  
 V. Laym. *L. 3. tr. 1. c. 15.* Sylv.  
 & alios. Dixi illam, quæ dicitur  
 clamosa. Nam quieta, quæ fit  
 cum retibus, laqueis, paucisq;  
 canibus, modò rarò fiat, non  
 est prohibita Clericis, ut do-  
 cet Medin. *Q. 12. cap. de rest.*  
 Sylv. & c. V. Less. *Lib. 2. cap. 6.*  
*dub. 8.*

---

## CAPUT V.

### *De negotiatione Clericis prohibita.*

Clericis in  
 maiore Or-  
 dine consti-  
 tutis non  
 est licitum  
 negotiari.

**C**Lericis in Majoribus con-  
 stitutis severè, idque sub  
 mortali prohibita est negotia-  
 tio, maximè si multa & fre-  
 quens sit: utpote multorum  
 peccatorum periculis exposi-  
 ta, valde distractiva, adeoque  
 statum Clericalem parùm de-  
 cens cap. *Consequens, dist 88 & c.*  
 Ita DD. comm. nisi fortè ne-  
 cessitas quempiam excuset, ut  
 quia aliter se alere nequit.  
 Nav. *Lib 3. cons 3.* Laym. & c.  
 Dixi si multa & frequens sit,  
 quia

quia semel aut iterum negotiari in re non magna, non erit mortale. Less. *Lib. 2. cap. 12. dub. 1.* Fill. Dian. &c. Dicitur autem is negotiari, qui merces v. g. vinum, frumentum, &c. emit, ut eas post carius vendat lucri faciendi gratiâ: aut qui lucri gratiâ emit merces, ut eas in melius mutatas & melioratas vendat v. g. lanam, ut illam in pannum mutatam divendat, item boves & porcos, ut saginatos vendat, hordeum, ut mutatum in cerevisiâ distrahat. Prior est negotiatio propriè, posterior impropriè dicta. Non est igitur negotiari, si per accidens fiat, ut id, quod ad proprium usum emisti, postea oblatâ occasione carius vendas, quia non eo animo emisti, ut lucri gratiâ venderes, quod ad negotiationem requiritur. Similiter non negotiatur, qui vinum, triticum, &c. ex redditibus beneficii, vel patrimonialibus proveniëntia vendit, quia vendit

Explicatur  
quid sit ne-  
gotiari.

Item quid  
Clerico li-  
ceat circa  
venditionē  
rerum sua-  
rum.

vendit res suas & non emptas  
 lucri gratiâ. Imò qui pecora  
 empta, & in propriis prædiis  
 saginata, vel ex propriis agro-  
 rum fructibus confectam ce-  
 revisiam vendit, aut in suis  
 pratis gregem alit, unde po-  
 stea foetus, lac, lanam vendat,  
 non censetur negotiari, quia  
 vendit fructus, aut quasi fru-  
 ctus, prædiorum vel agrorum  
 suorum. Sicuti nec ille, qui  
 emit agrum aut vineam cum  
 fructibus jam maturis, illòs-  
 que deinde vendit, quia ven-  
 dit fructus agri sui. Idem est  
 de eo, qui prædia vel jumenta  
 sua alteri elocat, quia rem suâ  
 elocat. Non erit tamen licitum  
 jumenta emere, ut ea deinde  
 pro certa pensione elocet, quia  
 id sapit negotiationem ali-  
 quam, ut docet Mol. *disp.* 241,  
*concl.* 5. Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 17.  
 § 7. Nec conducere agros, ut  
 eorum fructus vendat, quia  
 hoc ob speciem negotiationis  
 in Conc. Carthaginensi Cleri-  
 cis specialiter prohibitum est.

V.C.

V. C. Lugo. *disp. 26. sect. 3.* Denique rem aliquam emptam, & proprio manuum labore melioratam vel immutatam vendere, non est negotiari, quia vendit fructum manuum suarum, exemplo veterum Monachorum, qui corbes & retia, suis manibus elaborata olim vendere solebant. Adde quod Clericis non sit illicitum negotiari per alium, nam illis solum prohibitum est negotiari per se, præterquam quod in negotiatione per alium videatur cessare finis prohibitionis. Less. *L. 2. c. 21. dub. 1.* Dian. Wigers, contra alios. Unde licitum erit tradere pecuniam laico vel cum eodem societatem inire, ut is solus negotietur; lucrum autem vel pars lucri ad Ecclesiasticum transeat. Ab hoc tamen negotiandi modo, utpote clericali statui parum convenienti, nisi forte necessitas aut consuetudo loci excuset, abstinendum esse rectè monet. Mol. & Less.

An Clerico  
licitum sit  
negotari  
per alium.

Negotiatio  
per alium  
clericali sta-  
tui parum  
convenit.

II. cc. idque ob speciem avaritiae, & nimiae cupiditatis habendi. Qui enim volunt divites fieri, ut ait Apost. 1. ad Tim. 6. incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quae mergunt hominem in interitum & perditionem. Habentes igitur alimenta, juxta eundem Apost. 1. c. & quibus tegamur, his contenti simus.

F I N I S.



Index